DE

CHRISTI DOMINI

RESURGENTIS GLORIA

ORATIO


HABITA XIV. KAL. MAJAS MDCCCLIV.

IN SACELLO PONTIFICIO VATICANO

A NOBILI ADOLESCENTE

PHILIPPO MORICHINI

COLLEGII NAZARENI CONVICTORE



ROMAE

EX TYPOGRAPHIA BONARUM ARTIUM

Praesidum Facultate

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

PIO IX.

PONT. MAX.

PHILIPPUS MORICHINI

FELICITATEM

Nihil optabilius, BEATISSIME PATER, nihil quo magis jure laetandum mihi esse videam contingere poterat, quam ut primum quem e meis studiis percepi fructum,

illum Tibi bonarum artium et studiorum Patrono ac Religionis Vindici, veluti tenue quoddam grati animi et obsequentis argumentum, consecrarem. Verebar profecto solertissimum Sapientiae tuae judicium; movebar etiam loci ipsius amplitudine et majestate; cum minime ignorarem me multo plus oneris suscepisse, quam videretur vel aetas mea, vel copia et exercitatio dicendi expostulare. Verum haec mecum animo reputanti illud mihi opportune succurrit, quod saepe et ab amantissimo Genitore meo, et a Patruo Cardinali ejusdem hujus Collegii Nazareni alumnis acceperam: Te nempe talem ac tantam honoris dignitatem cum mira quadam ac poene incredibili humanitate conjungere, ut quantum altera caeteris principibus praestas, tantum altera par infimis esse videaris. His de rebus non modo hoc licet exiguum officii et observantiae meae testimonium Te in bonam

partem accepturum confido; verum etiam in spem hanc suavissimam adductus sum fore, ut et pro ea, qua plurimum vales Maximi Principis vi ac potestate, patrocinio fulcires tuo, meque ad susceptum curriculum alacriter absolvendum ultro alliceres atque hortarere. Quid quod res ipsa Te singulari quadam ratione spectat, Tibique veluti proprio jure debetur? Agitur enim in Oratiuncula hac mea de fortitudinis et constantiae virtute, qua nos propter spem praemii et coronae Dominus a mortuis excitatus communivit. Hanc vero in Te singularem fuisse ac prope divinam quis ignorat? Tu improborum sceleri et furori, tamquam murum aeneum, pectus objecisti. Tu nefaria impietatis tela retudisti. Tu nullis fractus laboribus, nullis perterritus minis, nullis vitae periculis retardatus auctoritatem, consilium, providentiam animo erecto ac divinitus confirmato omnem in hoc

unum contulisti, ut ubique gentium et locorum inviolabilia haberentur Ecclesiae jura; ut Christi grex in tanta temporum iniquitate, atque effrenata praesertim opinandi libidine tuae curae demandatus nulla errorum labe inficeretur; ut magis in dies Christiani nominis dignitas amplificetur, et longe lateque pervadat. Cujus exemplo, nec non litteris et consiliis recreati et arrecti animarum pastores et Sacerdotes omnesque boni strenue cum impiis in aciem descendunt, et luculenter ostendunt eamdem semper esse Ecclesiae virtutem et perseverantiam; utpote ea, quae concuti quidem et vexari ad quoddam tempus, expugnari tamen atque opprimi minime potest. Hoc ergo, Beatissime Pater, industriae meae specimen, quidquid est qualecumque, totum est, inquam, tuum. Ex Te decus et ornamentum accipiet: mihi vero acres stimulos admovebit ad reliquum vitae cur-

sum bene ac laudabiliter transigendum. Interea, dum supplex ad Sanctissimos pedes Tuos provolutus et mihi et meis et Nazareno Ephebeo Apostolicam benedictionem imploro, Deum Optimum Maximum enixe deprecor, ut Te ad majus universae Ecclesiae incrementum diutissime servet, foveat, tueatur.

ORATIO

Quem nuper flevimus tamquam percussum a Deo et humiliatum, saturatum amaritudine, inebriatum absynthio, et in ligno maledicti acerbissimae mortis sustinentem poenas, ecce gloriosissimum agens de morte, de inferno triumphum resurrexit. Omnis superiorum dierum acerbitas abiit; tetras aliquando tenebras offusamque caliginem lux nova et improvisa discussit. Hodie infirmitas in virtutem, mortalitas in vitam, contumeliae vertuntur in gloriam. Exurgant igitur filii Sion, exurgant; et abjicientes sordes in omnem gratulationem gratiarumque actiones effusi laetitiae voluptate efferantur. Quid hac die jucundius? Quid melius hominum generi contingere potuisset? Haec est illa dies, quam fecit Dominus, ut exultemus et laetemur in ea. Haec est signum illud, quod nobis ad bene sperandum attolli tandem et exhiberi oportebat, in quod omnium oculi mentesque, veluti olim ad aeneum serpentem in deserto sublatum, intuerentur; quodque Unigenitus Dei filius tamquam firmissimum religionis nostrae fundamentum, et certissimum divinitatis suae posuerat testimonium. Huc demum verba illa Servatoris nostri spectabant, quibus praemonuit discipulos suos, quemadmodum oporteret filium

hominis multa pati a senioribus et scribis, ac tertia die resurgere : ut qui passione sua et morte durissima docuisset homines, quid tandem esset pro veritate tollerandum, etiam strenue certantibus ostenderet resurrectionis triumpho et mirifica gloria quid esset in aeternitate sperandum. Quod dum brevissime conabor attingere, quaeso, Beatissime Pater, ut mihi tantam rem tamque admirabilem aggredienti exigui temporis attentionem ea, qua soles, humanitate impertiaris.

Quum homo ad imaginem Dei ideo conditus, ut imitator sui esset Auctoris; omnis sapientia, juxta Salomonem, ea demum est ut numquam oculos a capite ejus avertat, cujus membrum se esse cognoscit. Verum enim vero simul atque primaevam illam innocentiam, qua protoparentes eorumque filii fuerant a Deo decorati, Draco ille magnus et serpens antiquus venefico afflatu corrupit, tanta illos repente ad violandam justitiam proclivitas, tantaque depravatio voluntatis incessit; ut qui ad praestantissimam animi libertatem fuerant procreati, in miserrimam peccati subito deflexerint servitutem : atque eo tandem caecitatis et stultitiae perventum, ut eorum oculi in solis essent terrenis rebus defixi, et ea tantummodo tota cordis intentione conspicerent, per quae ad finem terreni desiderii perducerentur. Hinc factum est, ut obliti omnium rerum Patrem et Auctorem, conflatis auro argentoque non hominum modo, sed brutorum etiam simulacris munera obtulerint, thura adoleverint, victimas immolaverint. Nulla fuit animi cupiditas, ut ut nefaria, cui caeco impetu veluti pecudes non satisfacerent; nulla turpitudo, nullum vitium, quo se non obruerent; immo etiam quod in Deorum imaginibus non venerarentur : ita ut, quemadmodum divus Ciprianus ait, religiosa fierent miseris etiam delicta. Omnes, ut Psalmistae verbis utar, corrupti et abominabiles facti fuerant in studiis suis; omnes unusquisque in viam suam declinaverant; nemo

erat intelligens, nemo requirens Deum, nemo qui faceret bonum. O pessimam et teterrimam rerum conditionem! At vero quum Unigenitus Dei filius ad hoc formam servi accepisset, ut humanam naturam prostratam erigeret, deformatam instauraret, atque in pristinam dignitatem vindicaret; ideo omnem vitae suae industriam, omnem sollicitudinem ad insigne illud amoris et pietatis munus absolvendum intendit. Noverat ipse quanta esset exempli vis et auctoritas ad hominum animos resides et inertes incitandos, et quantum spes praemii ad eorum corda e vitiorum coeno ad virtutem, e terrenis desideriis ad coelestia erigenda valeret. Quamobrem simul atque in publico versari coepit, non fuit illi satis novam legem proferre, divina rerum arcana illa, quae ipse e sinu Patris hauserat, aperire, ad sanctioris vitae instituta inauditis et ad unguem perfectis disciplinae praeceptis hominum genus provehere; sed, ne qua exscusatio, ne quod perfugium reliquum foret, coepit ipse primus facere, atque in se novi et christiani hominis typum exprimere. Parum enim fuisset Christum hortatum homines verbo, nisi firmasset exemplo. Itaque nunc audias praedicantem: *Ego sum via, veritas et vita*; nunc docentem turbas, ut a se discant esse et mites et humiles corde, discant prospera mundi despicere, nulla adversa formidare; nunc altissimae perfectionis praecepta et prope coelestes vivendi leges tradentem; nunc animos, spem praemii benigne ostentando, allicientem et inflammantem, atque centuplum iis omnibus se daturum spondentem, qui unum pro Domino vel dimiserint, vel tolleraverint. Quae quidem omnia sublimia atque praeclara novae legis instituta Unigenitus Dei filius factis primum atque prodigiis, proprio deinde Sanguine consignavit. Verumtamen admodum parvus erat credentium numerus; quam facile exciderat miraculorum memoria, et numquam animum inducere poterant, ut verum Dei filium crederent, qui natus esset in

stabulo, qui fabri filius haberetur ab omnibus, quique per irrisiones, per ludibria, per verbera, omnemque ignominiarum vim fuisset acerbe raptatus, et morte omnium turpissima condemnatus: adeo ut una cum eo in sepulchro fortasse omnia delituissent; nisi et quae sapienter ediderat, et mirifice gesserat, semet ab inferis excitando, validissime confirmasset. Quis enim, ut optime divus Thomas perpendit, quis tanta fuisset dicendi vi tantaque copia, quis tanta auctoritate praeditus et rerum scientia, tamque pollens miraculo, qui universis terrae gentibus ab insana nequitiae fraude jam tot annos circumventis undique et irretitis persuadere potuisset, ut hominem probroso ligno affixum, interque latrones pendentem medium, tamquam patrii desertorem ritus, perturbatoremque tranquillitatis publicae, hunc veluti Sanctum Domini venerarentur; nisi cujus mortis tanta praecesserat ignominia, major etiam subsecutus esset immortalis vitae splendor et gloria? Omne igitur et religionis fundamentum, et salutis nostrae spes in Christi resurrectione adeo sita erat, ut praeter eam vana omnia futura Apostolus gentium minime dubitaverit affirmare. Quid revera causae fuisse putatis, quare Servator noster amantissimus quoties et a discipulis suis, et ab Judaeis infensissimis hostibus quaereretur, quod tandem de se ipso testimonium proferret, toties responderet vel Ionae prophetae signum, vel templi corporis sui, quod post triduum reaedificasset? Quorsum verba illa de potestate ponendi animam suam, et iterum sumendi eam? Quorsum illa de fructu passionis suae, quem percepturum praedixerat, quum exaltatus fuisset e terra? Nonne eo quod intelligebat e plurimis praeclarisque signis ad fidem nostram erigendam astruendamque unam prae caeteris omnibus resurrectionis suae virtutem conferre? Ac profecto ubi primum Apostoli acceperunt a mulieribus Christum surrexisse, et ipsi propriis oculis conspexerunt revolutum

a monumento lapidem, et corpore vacuum sepulchrum; ubi Christus et singulis seorsum, et omnibus in unum collectis pluries occurrit, et Thomae dubitanti adhuc, atque magistrum phantasma habenti carnem suam obtulit palpandam; tum demum filium Dei confessi sunt, divinamque ei prorsus naturam inesse, potestatem, imperium firmissime crediderunt. Quare aspicientes in Auctorem fidei et consumatorem Iesum, qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, qui cum malediceretur, non maledicebat, cum pateretur non comminabatur, quique propterea exaltavit caput, quod in via de torrente bibisset, per patientiam currunt et ipsi ad propositum certamen. Certum atque exploratum est omnibus se tamquam oves occisionis missos esse in medio luporum; a parentibus, a fratribus ipsis esse tradendos; nihil aliud sibi esse expectandum, quam verbera, vincula, flagra, vulnera, contumelias et mortem. Verumtamen lumbos suos ea fortitudine accincti, quae a charitate tamquam radice generatur; quae, ut inquit Apostolus, dat homini omnia posse, eumque licet corpore indutum ad conditionem erigit nihilo minorem, quam incorpoream; quae omnia aggreditur quantumvis aspera, et supra quam ferre possit humana natura; quam neque tormenta, neque blanditiae aut illecebrae, neque mors ipsa labefactare valeat; quaeque laetitiam, voluptatem et gloriam affert in infirmitatibus, in periculis, in nuditate, in fame, in angustiis; atque nihil putet praeter Deum sibi expetendum, nihil praeter ejus offensionem esse formidandum; ea, inquam, fortitudine accincti inter barbaras perditissimasque gentes eternae veritatis disseminandae munus demandatum alacres lubentesque suscipiunt. Possem hic in medium afferre quae et quanta Apostoli resurrectionis stupore correpti, et mirum in modum recreati pro veritate pertulerint, ni res esset adeo perspecta et pervulgata, ut supervacaneum videretur dicendo persequi, et con-

firmare. Testes enim sunt disjunctissimae quaeque regiones atque orae: testes universae quantumvis immanes et longinquae nationes, quae in teterrimis devorandis injuriis, atrocissimisque cruciatibus perferendis eorum constantiam et alacritatem suspexere: testis haec ipsa praesertim Urbs earum olim non tam potestate et imperio, quam errore et impietate magistra. Istam, ut appellat S. Leo Magnus, frementium bestiarum silvam, istum turbulentissimae profunditatis oceanum omni humana ope destitutus, at illius fretus virtute, cujus nutu per maris undas tuto olim incesserat, cujus nuper miratus fuerat resurrectionis triumphum et gloriam, Petrus ingreditur. Sed quo tandem consilio? Nempe ut ibi Crucis, quae tum apud omnes vel maximo habebatur probro, salutare signum extollat? ut Cives avocet ab honore ad contemptum, a divitiis ad paupertatem, a terrenis voluptatibus ad tormenta, ab otio et deliciis ad certamen? Ut suadeat lubricis continentiam, elatis humilitatem, iracundis mansuetudinem, tenacibus largitatem, omnibus fluxa et fragilia contemnere, superna sapere, superna quaerere, in novitate vitae ambulare? Et haec omnia tam ardua, tam salebrosa, tam post hominum memoriam inaudita in ea Urbe aggreditur, ubi impotens fastus, et effrenata dominatur luxuria, ubi licentia bacchatur, ubi vel foedissima scelera consuetudo confirmaverat, et religio ipsa sacraverat? Ita plane: Petrus Christi redivivi aestuans amore, atque secum animo reputans futuram gloriam, quae revelabitur in eis, qui sunt in terris socii passionum ejus, incredibili prorsus virtute et constantia destruit, aedificat et plantat, atque omnium in se oculos et admirationem convertit. Iam plurimi veritatis luce perculsi divitias, honores cunctaque vitae commoda et blandimenta despiciunt, ac palam profitentur nullam usquam nisi in Christo crucifixo esse salutem. Verum enim vero christianae militiae numerus in dies crescens, et publica novae religionis praedicatio

et confessio monstri illius omnium, quos terra tulit, impiissimi atque efferatissimi provocat indignationem. Furit jam atque excandescit in Petri discipulos immanissimus imperator. Iam viae et fora tota ferme Urbe innocentium sanguine et caede redundant. Ipsi jam dies festi et geniales ludi nihil videntur sapere, nisi ad eorum pompam et celebritatem indignissimum miserorum funus accedat. Quid tum? Tantane rabies miserandaque strages eos a Christi charitate divellet? Eorum constantiam flectet? Petrum a suscepto munere revocabit? Potest quidem insana atque effrenata barbaries conceptum jamdiu furorem in ipsum effundere, potest capto vinctoque supplicia mortemque intentare; animum vero frangere, ardorem temperare non potest. In carceris squalore et angustiis, in cruce ipsa suffixus , dum proprio sanguine et acerbissimo funere veritatem confirmat, novas ab inferni faucibus praedas eripit, novosque illi, qui post supplicia carnis et vulnera, post suam mortem de sepulchro surrexit, ut mortem resurgendo destrueret, asseclas comparat; eosque praesentissimo exemplo ad pugnam impellit, inflammat. Refugit animus reminisci quot, quamque funestas vicissitudines vel sub ipsa Apostolorum tempora plerique passim obierint et hic Romae et alibi sub peculiari Capite et Doctore constituti Christianorum coetus. Nemo ignorat infanda illa tempora a Tiberio ad Galerium continuata, in quibus christianum nomen adeo criminosum erat et invisum, ut unum satis esset ad cruciatus et mortem. Nota sunt omnibus illa quae ad Gregorium usque magnum sunt consecuta, per quae communis mater Ecclesia aut Graeco discerpta est schismate, aut Gothorum, Saxonum, Vandalorum dilacerata barbarie. Proh Deus immortalis quae temporum acerbitas! Quae per sex fere saecula rerum teterrima facies ! Quis sine lacrimis referat incendia, rapinas, vastationes? Quis bella, tormen-

ta, caedes? Quid impiorum furor intactum, vel inausum reliquit? Quae urbs non barbaricis impressa vestigiis? Quae flumina non decolorata sanguine? Non aetas, non sexus, non dignitas, non vitae innocentia cuiquam proderat. Animadverteres pecudum more jugulatos senes, juvenes obtruncatos, teneros puerorum et virginum greges varie vexatos, alios virgis caesos, alios securi percussos, multos in ignem detrusos, omnes prostratos, occisos. Tanta erat tyrannorum crudelitas, tanta strages et desolatio. Verum ad haec rerum extrema perducti ceciderant animis, an eo semper alacriores procedebant in aciem, quo liberalius invitabantur ad gloriam? O portentum singulare! O constantiam incredibilem! Defecerant ante tormenta et carnifices, quam qui pro veritate pati, et animae prodigus esse refugeret. Sed fortasse tyrannis immaniores extiterunt haeretici, qui Christianam rempublicam nunc occulte, nunc armis instructi et potentum praesidio labefactare, et funditus evertere conati sunt. Neque desunt nostris etiam temporibus, qui vel nova confingunt, vel vetera usurpant, atque ad aucupandam multitudinem singulari quodam utuntur artificio: dum se se religionis castitatem asserere, disciplinamque majorum ab inducta recentiorum superstitione vindicare gloriantur. Itaque religionis specie et Romanum Pontificatum et omnes Sacerdotum ordines injuriis strepituque lacessunt; magnosque de violato ab ipsis veterum instituto excitant clamores, et omni ope nituntur, ut disciplinae studio et zelo discipulos abducant post se. Lupi istiusmodi agnorum speciem praeseferentes non sunt prorsus novi in Christiano grege. Eos perbelle Servator nostrer designavit, et internoscendos dedit, ne forte parum cauti in errorem inducerentur: eosque omnes quovis colore, vel habitu, quibusve armis instructos Catholica semper veritas et constantia prostravit, extinxit. Rogavit enim qui exauditus est pro sua

reverentia ne Petri fides deficiat; suamque praesentiam usque ad saeculi consumationem promisit. Et re quidem vera si, ut Divus Augustinus considerat, numeres quotquot Principi Apostolorum ordine successerunt supremos sacerdotes, si etiam singulorum fidem expendas, operae praetium erit videre eamdem semper fuisse petram illam, quam portae inferi movere nequeunt, nedum vincere; eamdemque ab exordio in Apostolica Sede virtutem regnasse, eamdemque viguisse firmitatem atque unitatem.

At undenam Deus immortalis! Undenam tanta repente rerum immutatio, ut non Parthi solum et Medi et Elamitae iique qui Mesopotamiam, Iudaeam, Cappadociam, Pontum atque Asiam aliasque finitimas regiones incolebant, insanum illud antiquae superstitionis monstrum horrerent, et Christianam fidem amplecterentur; sed nulla jam foret gens tam agrestis et barbara, nullus tam inaccessus in terris locus, quo veritatis lux non pervaderet? Undenam in cruciatibus perferendis, in periculis adeundis tanta firmitas et constantia? Nonne ex promissa post obitum vita et felicitate? Si enim gloriosissime Christus de morte, de inferno triumphavit, si mortuorum ille primogenitus resurrexit, qui nostrum omnium est Caput; quis dubitet, quin nobis etiam, qui mystici ejus corporis membra sumus et partes, non ultra mortem visuris sit consurgendum? Quumque ipse elevatus a terra omnia ad se trahat, ac rapiat, num filios adoptionis, quorum gratia et amore de coelis descendit, et visibiliter corporalis apparuit, incertos, anxios ac prostratos relinquat? Quid Apostoli resurrectionem hanc omnibus usurpassent sermonibus, ut nihil aliud cogitare, nihil aliud loqui, aut praedicare viderentur; nisi judicassent spem nostram omnem esse in ea constitutam; eamdemque maxime valere ad solandos omnes vitae casus, mortisque formidinem superandam? Haec profecto est spes illa firmissima, quae virum de terra Hus in sterquilinio jacentem omnibus

coopertum miseriis in tantam arrexit confestim laetitiam, ut quum amici casum ejus dolentes mirati interrogassent, unde illi eo aerumnarum adducto hujusmodi esset gestiendi causa, scio, responderit, quod Redemptor meus vivit, et in novissimo die de terra surrecturus sum, et rursum circumdabor pelle mea, et reposita est haec spes mea in sinu meo. Hanc spem sanctissimus prophetarum Daniel altius in Iudaeorum animis figere studebat, quum eventurum praecineret, ut qui dormirent in terrae pulvere, evigilassent alii in vitam aeternam, alii vero in opprobrium. Ezechiel dignus factus est, qui in visione tam grandi resurrectionis spectaculo laetaretur. David ipse, dum viveret, jure exultabat, quod Dominus non dereliquisset animam justi in inferno, neque dedisset Sanctum suum videre corruptionem. Macabaei illi fortissimi regis impietatem abhorrentes hac una spe consolabantur fore, ut si tyrannus in praesenti vita illos perderet, rex mundi defunctos in aeternae vitae resurrectione suscitasset. Spes haec adeo urgebat Apostolum, ut modo exclamaret: cupio dissolvi, et esse cum Christo: modo vero, quis me separabit a charitate Christi? Tribulatio ne? An angustia? An fames? An nuditas? An periculum? An persecutio? An gladius? Et quidem sapientissime. Cum enim spes haec mentem nostram ad invisibilia rapiat, ad coelestia erigat; necesse est omnia vilescant, quae habentur in terris. Quid ergo mirum si tot integerrimi fortesque viri aspicientes in Christum, quem Deus voluit in infirmitate conterere, quem suscitavit a mortuis, atque gloria et honore coronavit, partim in solitudinibus errantes, partim in caprinis pellibus et melotis circumeuntes angustiati et afflicti, carceres et verbera experti, lapidati sunt, secti sunt, et in ore gladii mortui sunt, ut repromissionem post mortem acciperent, et meliorem invenirent resurrectionem? Quae tanta mundi vis, quae tot cor-

ruptelarum illecebrae, vel quae tanta adversus tenebrarum potestates futura erit colluctatio, cui superandae pares non simus, quotiescumque hanc cordibus nostris propositam spem firmissime teneamus? Haec timorem ab animis nostris expellit, haec in aerumnis nos recreat et firmat, haec pauperum lacrimas tergit, haec martires efficit, atque omnia omnium virtutum genera nutrit, et prodigialiter fovet. O miserrimos illos, quibus in adversis vitae casibus, in mortis discrimine spes haec dulcissima minime arridet! Quid acerbius excogitari potest quam in teterrima nocte, dum alte fremunt fluctus, et depraeliantur venti, praesentemque intentant omnia mortem, deprehendi in oceano, incertosque viae, quae tuto in littore sistat, aestuoso in pelago errare? Quis non paveat? Quis tam firmo erit pectore, ut horribilem mortis aspectum valeat siccis oculis sustinere? Quid aliud restat, quam nullam sperare salutem? Nos vero beatissimos, qui dum persecutionum et miseriarum fluctibus jactamur, hac spe duce, tamquam certo sidere, tendimus in portum: ac veluti milites, qui ne vulnera metuant, ne gladios perhorrescant praedas personant atque triumphos, laeti et gloriantes omnia perferimus et sustinemus propter spem praemii et coronae, quam dabit Dominus justus judex iis omnibus, qui in agone certaminis positi victoriam reportaverint.

Quae cum ita se habeant non sine causa exultat Sancta Mater Ecclesia laetabunda et laudans; atque praeclarissimam diem hanc maximis semper honoribus praedicat et extollit. Quis enim splendidissimam resurrectionis Domini gloriam contemplans jam dubitet? Quis Christi exemplo inflammatus, qui natus est in signum, cui contradicetur, non libenti animo aspera quaeque amplectatur? Quis adversa et mortem ipsam pro veritate formidet, an non potius firmissima repromissionis spe, tamquam clypeo protectus, omnia infernae conjura-

tionis tela retundat ? Exultemus igitur, et pia gratiarum actione exultemus. Si enim, dum vivimus, derisiones et improperia patimur, aderit tandem dies, qua inter filios Dei et nos computabimur, atque inter Sanctos sortem habentes nostram reportabimus gloriosum de inimicis triumphum; atque conformati corpori claritatis Christi cibabimur pane vitae, et inebriabimur supernae voluptatis torrente.

IMPRIMATUR
Fr. D. Buttaoni Ord. Praed. S. P. A. M.
IMPRIMATUR
Fr. A. Ligi Arch. Icon. Vicegerens